MAZ.
III
IX

XXXIX B 32 2.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
B
2
NAPOLI

155. 16.

R. 156. 16.

Digitized by Google

VINDEMIALIUM
AD CAMPANIÆ USUM
LIBRI DUO

JOSEPHI MACRINI
J.C. NEAPOLITANI.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI



NEAPOLI, Typis Felicis Moſca MDCCXVI.
Superiorum permiſſu.

Extremum hunc Arethuſa
mihi concede laborem.

ILLUSTRISS. ET ORNATISS. VIRO

PAULO MATTHIÆ

D O R I Æ

PATRITIO GENUENSI

JOSEPHUS MACRINUS J.C.

FELICITATEM.

Familiæ tuæ, quà Imperatorum, & Ducum numero, quà fortium virorum geſtis totâ Europâ, ne dicam toto orbe clariſſimæ, hoc unum ad ſummum ejuſdem ſplendorem integrum deeſſe videbatur, ut in ipſa etiam progeniti vi-

Digitized by Google

derentur, qui ultrà bellicam, & equeſtrem laudem, par decus ingenio, & inclytis ſtudiis ſibi quæſiſſent, & in utroque excelluiſſent inſtituto. Hoc equidem per te, Illuſtriſſime Paule Matthia, partum eſt uberrimè, qui cum ab adoleſcentia inter alios nobilibus exercitiis, animi, & corporis præſtantia, morum generoſitate, emicuiſſes; idem etiam excelſæ mentis vigore ductus, ſcientiis ſublimioribus applicitus, mira ingenii fœlicitate eaſdem adeptus, undique conſpicuus evaſiſti, & ſapientum, electiorumque virorum admiratione dignus. Enimverò quantum in civili prudentia profeceris, politiciſque rebus, ſupervacaneum erit memorare, cum edita à te circa eandem volumina unicuiq; oſtendant quas moderationis, & regiminis regulas adinveneris, utinam ab omnibus Principibus, & Rebuſpublicis obſervandas. Porrò in Philoſophicis melioris ævi meditationibus ita te excoluiſti, ut quantum humana vis ex iis elicere potuerit, ſine conten-

tione

tione tibi fuerit notum. Penitioribus etiam Mathematicis diſciplinis addictus acri ingenio non ampliùs reſolutas theſes, & problemata aggreſſus, difficiliora reſolviſti, Gordianos illos nodos reſecuiſti vivida mente, ut jam tuum acumen in iis ſtudiis Europæ Academiæ, & tuum nomen venerentur. Omitto demum propenſum ab adoleſcentia in amœniores literas, & muſas amorem, & præcipuè Latias, cujus & ego ipſe teſtis ſæpè fui, per tuam humanitatem quandoque à te impertitus iis, quæ compoſueras, concinnitatem, puritatem, & genium nobilem ſcribendi ſuſpiciens. Hinc eſt, Vir Illuſtriſſime, quod cum opuſculum hoc Georgicum eſſem editurus, & inſignis viri patrocinium quærerem, ſtatim te potiſſimum elegerim, cui inſcriberetur, tantis dotibus ornatum. Illud etiam me movit, quòd, cùm iiſdem ſtudiis verſato dicandum illud putarem; facilè exiſtimans, ejuſdem artificii perito gratius fore, nullum te potiorem alium inveniebam, cui non

diſ-

diſplicituram lucubrationem crederem. Tu enim ipſe, tanta tua eſt comitas, & benevolentia, mihi mea ſæpè probare ſuevisti, & , quod ruborem mihi affert, ſæpè laudare. Tu quoque animum addidiſti, ut opus hoc vulgarem: imò etiam expetiſti ſæpiſſimè, ità ut tibi, quod non ſit à me ſuppreſſum, illi debeant, quibus fortaſſe futurum eſt jucundum. Cæterum contentus tui nominis dignitate bono cum omine exiturum arbitror, aut ſin minus pro ſententia acciderit, ſufficiat mihi, quod tuæ, & amicorum ſatisfecerim voluntati.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

JOSEPHUS MACRINUS.

JUvenilem hunc Vindemialium tractatum ita comtempſeram, candide Lector; ut quamvis eum in media adoleſcentia compleverim, tamen ad ſenectutem uſque typis dare protelaverim, ipſum profectò ſuppreſſurus, niſi amicorum obſtitiſſet auctoritas. Hi namque, quibus ſcriptio hæc jampridem innotuerat, mecum ſæpè contenderunt, ut eam perire non ſinerem, publicæ lucis dignam ex ipſorum opinione cenſentes. Me verò pudebat in hac ſexagenaria ætate ea vulgare,

quæ

quæ floridioribus annis licerent, & retinebat ejus materies non omnino gravis, & ad delicias potius aurium, quam ad emolumentum aliquod digeſta. Porrò quis neſciat cuilibet experto colono plura, & utiliora de his innotuiſſe, quam hic ego poëticè docuerim? Verùm enim verò ſi hoc idem Maroni objici non poteſt, quod ſcilicet leviter, & non plenè de agrorum cultura ſcripſerit, cum unuſquiſque contentus eſſe debeat, quod ille cum majeſtate, nobili ſtylo, & cultis epiſodiis rem tenuem amplexus ſit, quamvis doctrinam eandem ruſticus quilibet, & cultores agrorum plenius calleant; ita eadem excuſatio meo operi competet, cum potiùs ad quandam elegantiam, quam ad integram rerum explicationem ſit compactum. Infelices agricolas, ſi nil aliud de aratione, occatione, inſitionibus, vitium cultura, apibus, & reliquis aliis tenerent, quàm quæ ille in Georgicis tradidit: eoſdem infeliciores, ſi de vindemialibus nil amplius, quam quæ diſſerui haberent; cum eorum induſtria, qua exercentur, & vivunt, ſubtiliora adinvenerit. Illud demum me movit, ut hæc qualiacumque ſint proderem, quod eadem extrema, quæ daturus ſim videri poſſunt, tum ingraveſcentibus annis, cum etiam ætatis injuria, & calamitate ſim deterritus, qua bonis ſtudiis, & amœnis nullus honor habetur, unde operis initio adſcriptum:

Extremum hunc Arethuſa mihi concede laborem.

Cæterùm ne alicui ex hac lucubratione decepto aut maximè bibax, aut ebrioſus dijudicer, qui per juventutem ferè fuerim abſtemius, & nunc quidem in provecta ætate modicum potum, & valetudini accomodum non excedam, idcircò operæ pretium puto genui-

genuinam, & veram occaſionem, quæ me olim ad hunc tractatulum exarandum impulerit, indicare. Cum enim incidiſſem in ea tempora, quibus firmare nos oporteret conſtantibus exemplis, & ſoli virtuti rarò locum eſſe, bonum factu exiſtimavi diligenter res meas excolere, unde compendia vitæ pararentur, ne alienum expectarem arbitrium, & fortunæ ſubſidia. Itaque animadverſionibus ex familiari exercitio factis, & ex revolutione etiam voluminum, quæ de his rebus ſcripta reperiuntur, plura conſecutus, eadem cum tempus ſuppetebat, & fori ſinebant impedimenta, poeticè ornare aggreſſus fui. Porrò patebat Maronem ipſum, cum de re ruſtica tradidit, de vitium tantum cultura ampliora dediſſe, & ſibi præteritam eſſe vindemialem artem: quapropter eadem mihi præferenda exiſtimo, quæ olim Columella magna cum venia dixerat. Is enim cum proſpexiſſet Virgilium nil ferè de re hortenſi, aut pauca commemoraſſe, idem opus libentiſſimè ſuſcepit, utpote ab illo omiſſum, hac uſus præfatione:

Hortorum quoque te cultus, Silvine, docebo,
Atque ea, quæ quondam ſpatiis excluſus iniquis,
Cum caneret lætas ſegetes, & munera Bacchi,
Et te magna Pales, nec non cœleſtia mella,
Virgilius nobis poſt ſe memoranda reliquit.

Ita etiam mihi audendum putavi, & ſupplendum, quod vix attigerat, & indicaverat tantum ſummus poeta. Præſertim cum ex longa temporum ſerie multa veteris do-

ctrinæ, & uſus abolita ſint; pleraque etiam copioſius recenter inventa: tum de torcularibus, & eorum ſtructura, vaſorum comparatione, & muſti condimentis, in quibus à junioribus veteres ſuperantur. Hæc quoquo modo præmittenda cenſui; Tu verò qualiacumque hæc ſint æqui, bonique conſule, &, ſi vita ſuppetat, aliquid hiſtoricum expecta. Vale.

Im-

Digitized by Google

Imprimatur.

D. NICOLAUS ROTA PROVIC. GEN.

D.P.M. Giptius Can.Dep.

Digitized by Google

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

FElice Moſca ſupplicando eſpone à Voſtra Eccellenza, come intende ſtampare un'operetta in lingua Latina intitolata:*Vindemialium ad Campaniæ uſum*. Però la ſupplica,ſi degni commettere la reviſione,acciò ſi poſſa dare alle ſtampe, &c.

Magnificus U.J.D.Joſephus Lucina videat,& in ſcriptis referat.

GAETA REG. MIRO REG. MAZZACCARA REG.

Proviſum per S.E. Neap.19 Februarii 1715.

Portius.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

OPuſculum, cui titulus: *Vindemialium ad Campaniæ uſum*, Veſtræ Excellentiæ juſſis obſequens perlegi, & in eo cum multa eleganter dicta invenerim, nihil planè eſt, quod Regiæ repugnet Juriſdictioni; quapropter idem typis tradi poſſe judico, ſi ita E. V. videbitur.

Addictiſſimus Cliens.

Joſephus Lucina.

Viſa ſupradicta relatione, imprimatur, verum in publicatione ſervetur Reg.Pragm.

GASCON R. GAETA R. MIRO R. MAZZACCARA R.

Proviſum per S. E. Neap. 14. *Martii* 1715.

Portius.

VINDE-

VINDEMIALIUM

LIBER I.

Quo legat expoſitas ferus vindemitor uvas
Ordine ſolerti, quave arte premantur, & unde
Dulcius eliciat felix induſtria muſtum,
Quæ plures ſervet purgatũ cella per annos,
Dicere fert animus. Vos, ò mitiſſima Pindi
Numina, fœcundum menti quæ funditis œſtrum,
Phæbe, & Pierides, non invida numina nobis:
Quandoquidem vati pridem indulſiſtis acerbi
Claudere carminibus damna, & contagia morbi, *(a)*
Atque feras alium ſectantem, aviumque volatus,
Viſco has, inſtructis comprehendere caſſibus illas.
Si per vos potuit curſum præſcribere nautis,
Et piſces alius plena concludere naſſa;
Aſpirate mihi; & tenuem concedite opellam, *(b)*
Ut ſi non alia merear meliore corona,
Saltem pampineo cingam mea tempora ſerto.
Tu quoque Bacche pater, noſtri pars prima laboris,
Namque tuum tractatur opus, laudeſque canuntur,

Præſtò adſis, cytharæque modos, numeroſque ſecunda.
Inventum hoc inſigne tuum eſt, opiferque per orbem
Diceris, & triſtes è pectore tollere curas.
Tam benè quod bibimus ſunt hæc tua munera, quodque
Exigui potus leni relevemur ab hauſtu:
Et fugimus per te morbos, ferimuſque labores,
Acriter egregio reparati membra liquore.
Scilicet hoc merito ſummas tibi Græcia laudes
Reddidit, ignigenamq; ſatum, Bromiumque, Lyæumque,
Æternumque itidem puerum, ſolumque bimatrem
Dixit, & appoſuit reliquis ſua nomina geſtis.
Divitias alius noſtro procul orbe repoſtas
Detexit, gravidaſque auro, argentoque fodinas,
Artes mille alii vel munera mille dedere
Lanificas, Serum & pictas tractantia telas.
Sed tantùm inſignes non profuit edere gemmas:
Nec tantùm ignoti per certa pericula ponti
Profuit inveniſſe auri, argentique fodinas,
Quantùm præſtantem vini exhibuiſſe medelam,
Unde hominum lapſæ redeant in priſtina vires.
Ergo fave, & vati rauco, vel vocis anhelo
Electum cyathum paſſim ſubmitte petenti.

JAmque novum aggrediamur opus. Tibi, caute colone,
Principiò obſervanda tui vindemia agelli:
Quid petat, anne ſtatum tempus ſucceſſerit anni,
Quo ruris carpantur opes, juſtamque peracti
Mercedem hyberni valeas cepiſſe laboris.
Nec pigeat totum pedibus percurrere fundum
Sæpiùs, & circum ſulcos labare per omnes,
Ut cujuſque tibi ſit copia nota racemi.

Im-

Immatura diù tibi pendeat, illa prementi
Ingratum eſt ſuccum latura, ignobile muſtum,
Vinaque dejecta, & multis obnoxia culpis.
Si quid peccandum, potiùs ſit tardiùs error
Collegiſſe tuus, ſeroque in tempore crimen.
Pendeat extrema autumni, ſoleſque tepentes
Senſura, & longo demum macerata dierum
Tractu, depoſito miteſcere diſcat acore.
Maturam tamen heu fruſtra, mitemque moratur
Fruſtra, qui coluit loca fortè paluſtria, quique
Prædia læta fimo ſuevit conſpergere pingui,
Exercetque graves fœcunda uligine terras,
Aut qui conſilio incauto ſibi vitibus imas
Implicuit valles, ſoliſque à lumine lævas.
Scilicet extemplò hæc tolli vindemia poſcit,
Vinaque ſerviles conde abſumenda per uſus,
Quæ nec longa dies reddet meliora, nec annus.
Nec tibi certa queam præſcribere jura, colonis
Obſervata; uſu longo præcepta ſequaris,
Qui ſtatuere aptas operi, legeſque, modumque.
Si tamen uſque adeò eſt aliquod noviſſe voluntas
Temporis indicium certi, vel ſigna propinqua,
Hæc comperta tene, & paucis hæc accipe dictis.
Uva priùs longum excipiat frigusque, caloremque,
Atque vices cœli varias patiatur, & imbre
Sit diluta levi, vel rore imbuta frequenti.
Mox color ipſe tibi ſit regula ſumma, nigrorem
Si fuſca accipiat de ſummo caudice ad imum,
Qualia ſunt multa Æthiopum ora horrentia nigra,
Tunc properè inſtrumenta para, ſcalaſque ſequaces.
Quod ſi flava ulmis vindemia pendeat, illa

Eximium, rutilumque ferat ſub fronde colorem.
Nonne vides ſibi formoſæ quæ ſæpè puellæ
Electro Eridani collecto in margine aquoſo
E Phaëtontiadum lacrymis fecere caducis
Ornamenta ſuo ſpecioſa monilia collo.
Incedunt illæ forma, cultuque ſuperbæ,
Et per colla micat fulvus color undique gemmæ:
Sic inter ramos micet uva admixta virentes.
Præterea ſortis ſunt argumenta propinquæ (c)
Deciduæ circum toto de palmite frondes:
Tum ſi quæ remanet de ſumma pendula matre
Aut rubet, aut alium traxit caſura colorem.
Tu perge ulteriùs, nimium ne crede colori.
Uvam ſtringe manu, preſſoque illam infice ſucco:
Si digitos teneat craſſo quaſi condita viſco,
Implicitamque manum teneat lentore tenaci:
Rumpe moras, juveneſque adhibe, celereſque puellas;
Doliaque implebis mellito ingentia vino.
Noſſè etiam juvat ulteriùs, geniumque, ſitumque,
Et quid quæque velit regio: non omnia tellus
Fert omnis, patiturque; aliud montana requirit,
Plana aliud: rectà radiis quæ conſita Solis
Sunt properè, & citius gravidis ſpolianda racemis,
Quam ſi quæ ad ſolem vergant vineta cadentem:
Litoreæque plagæ, ſalibuſque expoſta marinis
Arbuta odoratas reddunt maturiùs uvas,
Prorſus in internas quàm quæ ſunt conſita terras.
Quid memorem quos diverſis regionibus orbis
Det varios natura habitus? miracula rerum
Quæ prodat? tamen hoc unum, ac inſignius edam:
Quà patet innumeris Oriens, atque India regnis.

India

India Chriſtiadum latè peragrata trophæis;
Quà pater Oceanus ſine meta immenſus, & amplus (d)
Æquora mille aperit, priùs intentata carinis,
Vaſtas mille ambit terras, nec cognita noſtris
Litora pridem atavis, portuſque, ſinuſque recludit,
Aërii ingentes ſurgunt longo ordine montes,
Quos Paravæ imbelles implent, gens vivere ſolo
Piſcatu aſſueta, & quæſtu contenta marino.
Hos latere utrinque adverſo circumtonat æquor.
Hinc Boream obverſi ſpectant, ſeptemque triones,
Altera in adverſum facies, ſolemque cadentem.
Scilicet in tanta cœli brevitate propinquis
Aura ſoli diverſa tamen: queis menſibus illinc
Sævit hyems, pluviæque cadunt, ſata frigus adurit:
Iſthinc pomiferos maturis ſolibus æſtas
Educit fœtus, & pulverulenta caleſcit:
Cumque alibi ſylvæ frondis ſpoliantur honore,
Primaque vix ſurgunt ſumma ſata pinguia terra
Frugibus hinc agri ornantur, meſſemque propinquam
Oſtentant, jam jam reſecandam falcibus uncis.
I nunc, & certas cultori præcipe leges!
Namque illic, ſi vera ferunt, cum palmite pleno
Altera gens muſto turgentes colligit uvas:
Altera tunc fodicatque ſcrobes, viteſque refingit.
Sunt etiam quibus humanæ ſolertia curæ
Haud plenè arridet, non firma, & manca videtur,
Et certa è ſummis nil tale docentibus aſtris
Argumenta petunt, quaſi deſuper illa paluſtres
Imperio teneant ingentia lumina terras.
Ergò hi Virgilias ſervant, hæc aſtra legendis (e)
Apta putant uvis indicere tempora; nec, cum

Menſtrua deminuit cœlo ſua lumina Phœbe,
Admovere manus operi; quin ſideris hujus
Expectant plenos vultus, lucemque coruſcam.
Ah quæ tanta viros cæpit dementia? quive
Tantus amor fuit humanis illudere rebus,
Ut ſpecioſa velint trudi ſub imagine veri, &
Somnia pro certis, tenebras pro luce ſequantur?
Sed tu ſimpliciùs per cœli inquirere tractus
Horum, quæ inferiùs volvuntur, deſine cauſas.
Quæ natura aperit noſtrati accomoda ſenſu
Explora, atque iſthæc aliis ſervanda relinque.
Quin potiùs, ſi laudati te tangit habendi
Cura meri, ut reliquas ſuperes dulcedine cellas,
Ante opus has vinis artes appone parandis.
Cum novus adveniens jam pulſa æſtate, diei,
Noctiſque autumnus tibi ſenſim æquaverit horas,
Cumque rigens agros percurrere cœperit aura,
Inſiliat ſubitus vites frondator in altas,
Luxuriemque comæ populatus, in arbore nudas
Stare uvas ſinat, & nitidis pendere ſub aſtris.
Scilicet, excepto ſubeuntis frigore noctis,
Tum denuò excoctæ ſolis fervore diurni
Humorem ejicient, ſucco meliore retento.
Quod, ſi deſidia nunquam tenearis, & acrem
Non longus te terruerit labor, ante racemi
Sit dextra intortus cujuſque pediculus, alta
Quàm properes illum cupidus decerpere matre.
Perque dies ſeptem, ſeptenaſque ordine noctes
Pendeat, & collo ſenſim ſiccetur inani.
Namque alimenta viam amittent, ſubitura per ipſas,
Quas dederat natura fibras, & ſola per artus

Den-

Denſior ex acino remanebunt gumma, ſalcſque.
Sunt qui vimineas crates, calamiſque retextas
Vel tabulata parant, uvæque ex ordine complent, (f)
Ut ventis terebrata diù tenuetur & illinc
Paſſæ ignem ſimilis fermè eſiccata prematur.
Ah fuge, ſub dio ne ſit, neve illa recentis
Humorem excipiat roris, pluviamque cadentem.
Quid ſi demittas porrò fervente in aheno
Lixivialis aquæ bis, terque, ſtatimque reſumas?
Crede mihi, non te ſtudiique, operæque pigebit.
Felices quos immenſi non copia ſumptus
Detinuit, multuſque labor, nec cura moratur,
Dum certa expectant inſignis præmia vini.
Hoc tamen ut ſerves iterumque iterumque monebo:
Ne tibi, cum Lybicus pervaſerit aëra ventus,
Et madidis nubes, nimboſque invexerit alis,
Mens ſit viniferos decerpere ab arbore fructus.
Heu fuge morboſi nebulas, fuge damna tepentis
Venti, fiſcinulaſque libens, ſcalaſque repone.
Corporibus gravis ille venit, rurique, nec ullum
Flante hoc eximium reddent vinacea ſuccum.
Ergò tibi Æmonii expectanda eſt aura rigentis
Venti, cum ſicco nubes diffundere flatu
Cœperit, & ſoles induxerit illa ſerenos,
Et gelido durarit aquas, & flumina curſu:
Tunc benè maturo releventur pondere vites,
Et frigus levet appoſito vindemitor igne.
Sed video accinctos operi, juveneſque, ſeneſque;
Innuptas, nuptaſque nurus, pueroſque ſequaces,
Omnes feſtivos, plenos clamoribus omnes.
Æra ſonant, reſonatque procul cava tibia, cornu

Exultant alii curvo, vel arundine parva
Longè augent ſtrepitum, colles, monteſque propinqui
Accipiunt, reddit geminum è convallibus Echo.
Quò ruitis ſubiti? Satin inſtrumenta paraſtis?
Vaſaque purgatis curaſtis fæcibus ante?
Et ſeptum, electumque locum ſtatuiſtis in agro?
Ite citi, fabros adducite, meque docentem
Obſervent properi, & dextris mea dicta ſequantur.
Principiò in media ſtatuatur vinea ab ipſis
Tectum oblongum ingens, quò non injuria cæli
Pervadat, friguſque, & ventos arceat omnes.
Margine in extremo, primoque in limine tecti
Denſata argilla mihi calcatoria fundent, (g)
Circùm è ruderibus muro munita remiſſo.
Scilicet hic pedibus calcanda eſt uva politis,
Perque ſuos tubulos expreſſus defluat humor.
Hunc porrò excipiat de ſummo cupa cadentem,
Cupa ingens forma è tabulis fabrefacta rotunda.
Has mihi caſtaneæ veteres jam conſitæ avorum
Ætate, aut altæ fagus de monte miniſtrent,
Quas Campanæ oræ dat proximus Apenninus.
Circulus ex ulmo, quercuque coërceat amplus,
Et triplici nexu latera exuperantia cupæ
Stringat, ut undantem teneant tabulata liquorem.
Parte alia tecti cupæ ſtat grande propinquum
Torcular, è gravibus firmatum penſile tignis,
Quod mox quàm recta fiat ratione docebo.
Axe ſuper duplici tabulata ingentia ſterne
Ad lecti formam (pavimentum fortè priores
Dixere) hæc fagus præſtet procera, vel ulmus.
Hinc atque hinc rectæ ſtatuantur ab arte columnæ

Spi-

Spiralem in formam circum ſua colla ſtriatæ.
Hæ ſuper impoſitum robur ducantque, reducantque,
Et ſtringant, laxentque gravi ſub pondere maſſam,
Scilicet omne dabunt preſſum vinacea muſtum,
Undabitque lacus putei ſubjectus ad uſum.
Quam juvat expreſſi ſonitum exaudire liquoris,
Cum cadit è ſummo pleniſſima copia lecto!
Ut qui montanis de rupibus exilit amnis,
Atque inter rupes, atque inter ſaxa volutus
Captantem ſomnum reddit, dulcemque ſuſurrum:
Talis erit ſtrepitus ſub prælo lenè cadentis
Muſti, ac implebit circum loca proxima odore.
Nunc ego, ſi mihi ſuppeditent ſua dona Camenæ,
Edoceam nova, quæ nuper Campania fixit
Munere divorum celeberrima torcula, certè
Humanum ingenium, & noſtras ſuperantia vires;
Quemque dii tanta dignati ſorte colonum.
Fuderat horrificus cineres, & Vesbius ignes,
Sulphureumque imbrem circùm jaculatus ab ore
Vicinas ſtrepitu, & terrore impleverat urbes.
Senſerunt ſuperi cladem, miſerandaque damna,
Quique luem tantam Campanæ averteret oræ,
Supprimeretque iras rabidi, furiaſque gigantis
Miſſus Atlantiades, ſumptiſque caducifer alis
Fulminibus, nimbiſque, & ventis ocyor ivit.
Jamque interruptis gleba, ſaxiſque caminis
Preſſerat errantes per viſcera, & antra calores;
Exiguus tantum ſummo de vertice fumus
Spirabat ſenſim extincti jam ſulphuris index.
Inde deus faciem montis miratus amœni
Per valles, & ſubjectas deſcenderat umbras,

Quà ſe ſe apricos pandit radicibus imis,
Quàque ſibi adverſam Nolanam reſpicit urbem,
Et longè veteris proſpectat mœnia Sarni.
Villa erat acclivis generoſæ fertilis uvæ,
Ordineque arboreo circumſita: jugera ſeptem
Explebat; medioque ſui fuit excita multo
Rudere montano, & tecto cretaceo operta.
Parva quidem, at ruris caſa ſufficctura colono. (b)
Baccius hîc dominus placidum traduxerat ævum
Fundi idem cultor, recti ſervator, honeſtique,
Ipſe ſuo ſolitus quæſiſſe alimenta labore.
Hunc adiit laſſum ſimulans deus, &, bone, dixit,
Et venerande ſenex, ſic ſit tibi Bacchus amicus,
Et tua vicinos ſuperent vineta novales,
Prome meri cyathum ſiccis jam faucibus. Ille,
Plura libenter, ait, ſumes: mea proxima cella eſt.
Illic bis coctæ cereris dat fruſtra, recentiſque
Expreſſi caſei, & pernæ fragmenta ſuillæ;
Urceolumque tenens dextra, loramne viator?
Ammineum mavis? nigrum guſtare, vel album,
Auſterum, & ſtomaco validum, vel dulce placebit.
Omnia habes certè hìc, firmiſſimaque omnia, ſume.
Plura probat, guſtatque deus; tum denique laudat
Vina, atque ambo ſedent ubi longum pergula ſcamnum,
Et mitem præbet frondis ſubeuntibus umbram.
Tum deus hæc hilari converſus fronte profatur.
Quæ nunc large ſenex, dixit, tibi juſta rependam
Præmia, quæve animum ſincerum dona ſequantur?
Te non ambitio ſtimulat, non cæca cupido
Cæpit adhuc auri: magnum tibi vinea regnum eſt.
Accipe qua multum promant vinacea ſuccum

In-

Intentatam aliis artem, nullique repertam,
Vinea proventu tibi qua reſpondeat amplo,
Atque hinc diſſeruit, quo pacto hinc inde quaternæ,
Et duplices rectæ ſtatuantur ab arte columnæ,
Quæ ſolidæ medium teneant, ac penſile robur,
Robur prælongum, inque pedes inſigne tricenos.
Robore ab extremo docuit cur pendeat ingens
Saxum, & ferratis anſis libretur in aëra,
Ut premat ingenti poſitam ſub robore maſſam,
Preſſaque vix ullam ſervent vinacea ſtillam. *(i)*
Proximus axiculo ſic pendulus ipſe ſtateræ
Librarum tenuem numerum vix indicat; idem
Auget in immenſum poſtremo in margine pondus.
Non autem hic ego, qua toto provincia in orbe
Quælibet utatur formâ, cultuque premendi
Exequar, & cupæ, quæve inſtrumenta parentur
Gentibus Alpinis, quæ proxima Gallia Rheno,
Quæque Iſter teneat ripa, quà cultus utraque eſt:
Aut, ſi Aſiæ dicam, ac Orientis regna, quis uſus
Sit Thaſiæ genti, Tmoliis, Lesboque, Chiiſque,
Et pingui Ægipto quanam muſta arte parentur.
Ille peregrinos narret, cui multa fuere
Fortè per externas commercia cognita terras.
Tantùm Campanos auſim deſcribere mores,
Proxima gens Liri, & quos Sarno proxima ſervat.
Sed quid opus tantis? omnes Campania vincit
Fertilitate plagas, & vincit laudibus omnes,
Proque peragrato Campania ſufficit orbe.
Quod ſi Campanæ dotes tibi Bacche fuiſſent
Notæ, non alias tranſiſſes fortè per oras,
Hic ſedem imperii fixurus, & agmina læta.

Nam-

Namque hic, ſeu tenuem mavis, Atella propinat;
Et Surrentino mittunt de litore vites,
Et qui Vulturni lætantur flumine campi:
Seu magis auſterum tibi Palma, & juncta Veſevo
Nola jugo ubertim præſtant, colleſque Marani,
Et qui Parthenopem cingunt pulchro ordine montes:
Seu ſtomaco validum, vel quod dulcedine præſtet
Vesbius hoc, & Rethina ſuis ſub rupibus; æquè
Pompejanus apex, & Gauri culmina ſumma,
Pauſylipique dabunt leni de vertice colles.
An memorem nobis quæ copia dives? in orbem
Spargimus extremum, noſtrumque habuere Britanni, &
Laudavere merum; ſenſit noſtrum ultima Thule,
Hiſpanique probant, & quos Tagus alluit, illo
Largiùs epoto titubavit Gallus, & ipſi,
Qui nivis algorem nimium ſub pellibus arcent
Germani noſtro tolerarunt frigora vino.
Salve ſacra parens, felix Campania, rerum
Sic tibi concedant felicia tempora divi,
Et quæ tempeſtas totum metuenda per orbem
Bellorum Italiæ cladem, Europæque minatur
Iſthinc præteriens alienis detonet oris,
Meque tuis tutum liceat requieſcere in ulnis.
Sed quò me patriæ, & Campanæ gloria gentis
Immemorem abduxit laudis non indiga noſtræ?
At vos interea ruris bona turba coloni,
Quæque eſtis patrio promptæ de more puellæ,
Veſtra etiam, quamquam exigua, inſtrumenta parate.
Sunt humiles vites, quarum vindemia nullis
Forſan eget ſcalis, facilique paranda labore eſt.
Qualis arundineo quæ niſa eſt vinea fulcro.

Sunt

Sunt quas ſublimi produxit in aera tractu
Populus, aut ulmus procera, & maſcula quercus.
His adhibenda tibi ſcala eſt, qua fultus ad altos
Pervenias ramos, nullumque relinque racemum.
Sunt etiam tripodes, queis penſilis uva legatur.
Fiſcina vos, juvenes, etiam comitetur, eritque
Os patula, & longum inferius tenuata in acumen.
Aptiùs & ramos emiſſa ut permeet ipſos,
Reſticulaque redux juveni religata volenti.
Sit duplex itidem ſuus unicuique puellæ
Cupulus: huic pleno ſupponant linea in orbem
Stamina, cervicem ne lædat pondus eunti.
Cætera mox: parvam indicit mihi muſa quietem.

Digitized by Google

AD LIBRUM I.

NOTÆ.

(a) *MEmorantur celebriores auctores, qui tractatus peculiares nobili carmine comprehenderunt. Horum primus Hieronymus Fracaſtorius, qui de morbo Gallico elegantiſſimè ſcripſit. Secundus erit Petrus Angelius Bargæus, qui venuſtè de venatione, & aucupio. Tertius Parthenius Jannettaſius, qui de navigatione, & piſcatu uberrimè tractavit.*

(b) *Non erit fortaſsè indecens agriculturæ arti ſtuduiſſe, & ſufficiet, quod à Cornelio Nepote de Catone ſcriptum eſt, his verbis:* in omnibus rebus ſingulari fuit prudentiâ, & induſtriâ: nam, & agricola ſolers, & reipublicæ peritus, & juriſconſultus, & magnus imperator, & probabilis orator, & cupidiſſimus literarum fuit.

(c) *Columella Lib.*XI.*c.*II. *hæc tradit.* Quidam, cum vidiſſent partem aliquam uvarum vireſcere, crediderunt tempeſtivam eſſe vindemiam. Quidam, cum coloratas, & perlucidas uvas animadvertiſſent; nonnulli etiam, cum pampinos, & folia decidere conſideraſſent. Quæ omnia fallacia ſunt, quoniam immaturis uvis omnia eadem poſſunt accidere propter intemperiem ſolis, aut anni. Itaque nonnulli guſtu explorare maturitatem tentaverunt: ut ſive dulcis eſſet ſapor uvæ, ſive acidus, proinde æſtimarent.

(d) *Indicatur Indiæ regio, in qua brevi diſtantiâ, eodem tempore hinc æſtus, illinc hyems obſervatur. De*

hac

hac iſta memorat Curtius Lib. VIII. Cæterum quæ propriora ſunt mari Aquilones maximè deurunt: ii cohibiti jugis montium ad interiora non penetrant, ita alendis frugibus mitia. Sed adeò in illa plaga mundus ſtatas temporis vices mutat, ut quum alia fervore ſolis æſtuant, Indiam nives obruant: rurſuſque, ubi cetera rigent, illhinc intolerandus æſtus exiſtat. *De hac regione meminit etiam Petrus Maffeus in ſua hiſtoria Indica.*

(e) *Ita ſcribunt Columella, & reliqui de Re Ruſticâ, ſcilicet tempore Virgiliarum, & in earum exortu vindemiam incipiendam, & eandem creſcente Lunâ, cum potius obſervanda ſint circa eam inferiora phænomena, ſcilicet pluviæ, venti, frigoris, aut æſtus. Erant autem antiqui in rebus agriculturæ ſanciendis aſtrologiæ obnoxii, ut conſtat ex Columellâ Lib.* I. *c.* I. ibi: Nam Hipparcus eo libro, quem de agricultura ſcripſit, mutatum cœli ſtatum, ſic colligit: quòd quæ regiones antea propter hyemis aſſiduam violentiam nullam ſtirpem vitis, & oleæ depoſitam cuſtodire potuerint, nunc mitigato jam, & intepeſcente priſtino frigore largiſſimis olivitatibus, & liberi vindemiis exuberent. Sed hæc ſive vera, ſive falſa eſt ratio, literis aſtrologiæ concedatur. *Idem Columella Lib.* XII. *cap.* XIX. *in conditura facienda hæc obſervat.* Tum obſervabimus decreſcentem Lunam, cùm eſt ſub terrâ.

(f) *Heſiodus in Lib., cui titulus*, Opera, & dies *de vindemiæ modo hæc differit ſecundum meliorem verſionem.* Cum verò Orion Aſſyrius in medium venerit Cœlum, Arcturum autem inſpexerit roſea digitis aurora o Perſa, tunc omnes decerpe uvas, exponito verò Soli decem dies, totidemque noctes: quinque autem adumbrato; ſeſto in vaſa haurito, dona lætitiæ datoris Bacchi.

 (g) *Cal-*

(g) *Calcatorium in loco altiori collocandum docet Palladius Lib.* I. *c.* XVIII. *bis verbis*: ſic autem diſpoſitum, ut baſilicæ ipſius forma calcatorium loco habeat altiore conſtructum. Ad quod inter duos lacus, qui ad excipienda vina hinc inde depreſſi ſint, gradibus tribus ferè, aut quatuor aſcendatur.

(h) *Baccius integrum volumen ſcripſit de generoſitate vinorum; ideò placuit ficto huic colono ejuſdem auctoris nomen inſcribere.*

(i) *Noſtrâ ætate id inventum eſt torcular, qua longiſſimæ quercui orizontaliter decumbenti in extremitate ſaxum ingens ferrata anſa annectitur, ut ibi centuplo ponderoſius omnem ſuccum exprimat, eodem modo, quo pendulus ſtateræ in extremitate poſitum centies pondus auget.*

Digitized by Google

VINDEMIALIUM

LIBER II.

Nunc alacres animis, ſunt præla parata, coloni
Incipite, atque acies juvenum, lectaſque puellas
In pronas onere, & gravidas immittite vites.
Hi multo clamore virili, acrique cachinno,
Blando animent opus hæ cantu: ſed verba, jocique
Fœdi longè abſint, & vana licentia fandi.
Ite procul nocui, procul hinc excedite mores.
Hos, niſi vana ferunt, reginæ inſana libido (a)
Invexit, quæ, fortè ſuo laſciva furori
Dum petit. obſcœno illecebras & fomite rapta,
Hæc juſſit licuiſſe, & verba pudenda profari;
Noluit eſſe ſcelus, replereque turpibus aures:
Sic alios veneri ſtimulos, alimentaque quærens,
Effræno infandis dictis incanduit æſtu.
Ah nimium placuit conceſſã licentia (prompti
In pejora ruunt homines, legeſque ſeveras

Effugiunt) latè patrias diffuſa per oras
Invaluit, multoque nequit dimittier ævo.
Talia dum noſtros malè vociferata per agros,
Corrumpunt autumnales opprobria menſes,
Innocuos luſus, caſtos cantetis amores,
Queis mens eſt noſtris operari rebus agelli.
Jamque juvat certas carpendi indicere leges,
Quæque legi priùs uvarum, quæque ultima poſcat:
Principio purganda ſuis vindemia mendis,
Et, quæ marcentes, verſoque in vite colore,
Prævenere ſuum tempus maturius uvæ,
In cumulum relegendæ, & vina locanda ſeorſim.
Synceris ſecus immixtæ, ac abſque ordine lectæ
Materiem, muſtique valent corrumpere maſſam.
Sic, quam ſtravit humo ſubita inclementia coeli,
Aut Boreæ, aut Auſtri vehementia flamina, & imber
Fortè procelloſus, lapſuſque ex æthere turbo,
Eſt condenda cadis, præloque premenda ſeorſim:
Hanc namque impactâ tellure inficit amaror,
Et labem in reliquum potis eſt immittere ſuccum.
Tu verò ante alias (quamvis eſcaria ſummæ
Sis claſſis) lenire valens dulcore palatum,
Implebis noſtros Apiaria prima caniſtros. *(b)*
Et quamvis non tanta premi (nam copia rara eſt)
Sit ſolita, exornetque tuas Campania menſas:
Nobilium ſaltem cyathis ſervabit odorem,
Unde ea præ reliquis clariſſima nomina ſumpſit.
Vos Calabri, & tellus Græcis habitata colonis
Sufficitis largè hæc Apiani munera muſti.
Illic, ut perhibent, fervens immiſſa in ahenum
Lixivialis aquæ, mox ſoli expoſta diurno

Decoquit humorem ſucco meliore retento,
Et datur hinc prælo eximium miſſura liquorem.
Tu modò ne maneas ſebeuntis frigora brumæ,
Nec tepidos remorare dies: juvat ilicet illam
Sæpè per æſtivos ſine culpâ excerpere menſes:
Namque, per autumnum ſi penſilis eſſe ſinatur,
Aggredientur apes, & dulci furto inhiantes
Sufflavæ ceræ, & mellis paſcentur in uſum,
Et fruſtra cocleos tandem ſpectabis inanes. (b)
Pone illam ſequitur, dum vellicat aſpera linguam,
Sortita emeritum factis Aſprinia nomen. (c)
Hanc, ſi fortè velis, maturam, & acore remiſſo
Fruſtra operam perdes: libet illam utcumque ab onuſtis
Carpere populeis, (ingenſque eſt copia) truncis,
Potioque hinc oritur vili præſtanda bubulco,
Sedandæque ſiti vix admittenda per æſtus.
Hinc legitur melior ſucco, dulgique medullâ,
Sed quæ non patitur ſoles, Viridiſca, flagrantes; (d)
Non duraturi genitrix uberrima vini,
Et non paſſuri æſtivos ſine labe calores.
Huic comes à caudâ, pretio non impar, equinâ
Nomen adepta ſuum, vitiiſque obnoxia iiſdem:
Quæ Vallettanæ gratiſſima potio menſæ. (e)
Tu quoque Nolanis legeris celeberrima campis,
Quòdque extrema venis Vernotica dicta colono: (f)
Scilicet, auſteroque ſimul, mitique ſapore,
Purpureos patres Romanæ pellicis urbis:
Et ſuavi potu, ac inter validumque, levemque,
Nec tentas caput, & ſtomachis non deficis ægris.
Jamque age, ſuccedat vindemia firmior. Ergo
Poſtera ab armatâ, quæ nomina nota phalange
Sumpſit,

Sumpſit, & illius longum prætendit acumen,
Electum promat compreſſa Phalangina ſuccum. (g)
Nec quantum totum eſt uvarum fortè per orbem
Laudibus Ammineæ certent: non Cœcuba, Chia,
Ac olim celebris fumoſa Falerna racemi.
Ultima flavarum decerpitur, illius acrem
Non pluviæ domuere, aut nix immiſſa vigorem. (h)
Potioque hinc multos premitur ſervanda per annos,
Gratior ex ævo longè evaſura vetuſto.
O qui Summanis ſiſtat me collibus! illic
Plurima proceris excerpitur aurea ramis:
Et mare velivolum levibus tranſuecta carinis,
Per vaſtum latè ex illis diſpergitur orbem,
Suavior ex motu, leviorque futura marino.
Sed ſexcentæ eſſent memorandæ laudibus uvæ:
Quas numerare auſus, Lybici priùs æquoris undas
Enumeret, volucres cœli, ſtellaſque micantes.
Has ſatis eſt uſu aſſiduo dixiſſe receptas,
Campani quibus agricolæ lætantur, amantque.
Sæpè tamen moneo: vos dicta audite monentis.
Flava, vel alba ſuis fuerit cum preſſa racemis,
Imbue confeſtim, & vaſi committe parato.
Nec ſimul eſſe ſinas muſtum, & vinacea, preſſum:
Non hæc ſunt itidem cupâ retinenda per ullam
Fortè diem, aut ſpatium fervendi, aut tempora poſcunt.
Nam ſecus amiſſo ingenito, claroque colore
Luridus inficiet mixtus, flavoque, rubroque.
Jamque paranda venit ſimilis; ſed diſpare cultu
Altera ſanguineum reddens vindemia ſuccum.
Illa Campanis eſt nulla frequentior oris:
Indigenæ hunc adhibent menſæ: nam ſtringere fibras
Cre-

Creditur, & morbis ſuccurrere dicitur alvi,
Quas laxare ſalent albentia vina fluentes.
Ergo juvat ſpurias uvas ſecernere primùm,
Et queis caſtaneæ dant nomina ducta colore,
Et quas à formâ fortè appellamus olivæ,
Miſcellaſque levis muſti duxere coloni.
Et licet eximias habeat Verracia laudes (*l*)
Hellinicis ſit ſummus honos: hinc prima petenda
Laus erit inſtructis larga ad compendia cellis. (*m*)
Longè immaturam, marcentemve ejice partem:
Mox ubi ſelectas ex ordine preſſeris uvas,
Dejicienda qualo, & cupæ immittenda capaci,
Dilutoque ſimul ſucco vinacea miſce,
Donec proceræ contingant culmina cupæ.
Sed quæ primitiæ, quæ ſint mihi præmia, demum
Si facilem methodum, qua dulcia muſta reponas,
Protinus edoceam, generoſis munera menſis?
Scilicet expreſſis ubi calcatoria botris
Undabunt, & materies addenda priori,
Confeſtim cape raſtra manu, cape robora cultor
Dentata; & ſenſim congeſtas excute partes:
Namque tibi ſcopus ex uvis tollendus, & omnis (*n*)
Ramulus, unde ſua pendent ceù ſtirpe tumentes
Folliculi, hoſque ſinas cupæ demittier amplæ,
Ejectumque ſcopum vili concede colono,
Selectiſque acinis dulcem tibi perfice maſſam.
Hic ubi concalvit, ternis, vel fortè quaternis
Solibus immixtam totis patiere morari.
Tum fervere ſimul, totoque ex corpore motus
Edere conſpicies, conflictanteſque ſonorem
Reddere particulas, ignemque erumpere, longo
Quem Phæbus volvens acinis incluſerat anno.

Terribilem fremitum ! non noſtra diſpar in urbe
Auditur, cum fortè viros ad ſigna ciere
Tympana rauca ſolent, animoſque accendere bello.
Illa tibi ante alias ſit cura ſuprema, racemos,
Quos legimus rigidæ inſtantis ſub tempore brumæ,
Servare, & preſſis includere dolia vinis.
Hæc lacrymas dixere recens, dixere priores,
Ut lacrymas Arabes thuris, myrrhæque vocarunt.
Muſa mihi cauſas, quibus huic ea nomina muſto
Sint, memora, ſi noſſe licet. Theſeide culpâ
Littoreo deſerta loco, atque in inhoſpite terrâ
Deflebat duros Ariadna miſerrima caſus,
Aſtu multa ſibi debentis prodita amantis:
Infelix patriâ orbata, ac orbata marito
Nuper regina, & Cretæ venerata colonis.
Illam plorantem, Theſeoque infanda precantem
Viderat exoriens, & viderat occiduus ſol.
Deſpondens animo, & vitis laſſata ſub umbrâ
Sederat, incertum finem fletura malorum.
Fortè ea velifero tranſibat littora ligno
Bacchus ovans, totoque redux oriente ſubacto,
Et procul eximiæ cum cerneret ora puellæ
Appulit in littus, formâque repente ligatus
Captus amore novo, dictis mulcere dolentem
Orſus, conjugium ſpondetque fidele per ævum.
Mox ubi compoſitam, pulſoque timore receptam
Conſpexit, mentique ſuæ, obſequioque ſecundam
Pluribus ornavit donis, nitidaque redemit
Gemmis, quæ fuerat ſtellas auctura, coronâ.
Numinis utque ſui monumenta inſignia ferret:
Nec tu, Bacchus ait, quæ noſtræ commoda ſponſæ,

Vitis,

Vitis, & innocuas umbras, requiemque dediſti,
Et lacrymis perfuſa ſuis, ſine honore manebis.
Tu latices muſti fundes melioris, & orbe
Inclyta erunt toto, externaſque petita per oras.
Non ea deminuet pelagi jactatio; non jam
Tempus edax rerum, non invidioſa vetuſtas
Conteret, & multos vivent invicta per annos.
Eventus porrò Bacchi promiſſa probarunt:
Et genere ex illo, ductæque propagine vites
Eximium reddunt, inculpatumque Liæum,
Vinaque ab antiquo lacrymarum nomina ſervant.
Verum age: nulla tibi ſubigenda eſcaria prælo,
Ex preſſa exiguus replebit dolia ſuccus, (o)
Nec potu bonus, & ſtomacho vix utilis ægro:
Quique per exiguæ durabit tempora brumæ,
Prorſus in immenſum declinaturus acorem.
Quin potiùs ſervanda tuis ſit condita menſis,
Et trabibus religata hyemi ſuccurrat inerti.
Quàm juvat electis triclinia deſuper uvis
Ornare, atque hyeme invitâ prompſiſſe recentes!
Nec contentus eris primis, quæ præla dedere,
Effluviis: inſiſte iterum, nec parce labori,
Et maſſam, & cumulum bis, terque recide, & acuta
Marginibus circum, validâque relinge ſecuri,
Et micet interiùs detentum ex objice muſtum;
Sic tibi tortivum ſeros ſervabis in uſus.
Sæpè tamen moneo, cura, ſtudioque paranda
Dolia ſunt cellis, ex illis preſſa ſaporem
Vina trahunt. Primò, ſi quid lentoris habebunt, (p)
Abjice, & accenſo Vulcano dona ſacrabis.
Cætera ſæpè ſale immixto, lymphâque marinâ

Ablue, odoratis quæ longùm ebulliit herbis.
Caſtaneæ quæ componunt vaſa ampla tabellæ
Corrumpunt ſucco ſylveſtri ſæpè liquores,
Infuſiſque malus ſalibus purgatur amaror.
Hæc veteres olim fugere incommoda, muſta
Servavere quibus cretacea vaſa, politò
Interiùs tenui tunicâ circumlita vitri,
Oraque gypſata, & multâ pice clauſa nigrante,
Telluriſque ſinu longùm defoſſa locabant.
Hæc ſignata ſuo demum ſub conſule, læta
Poſteritas habuit, ſerique bibere nepotes.
Hunc morem in meliùs ſibi poſtera rettulit ætas:
Non ſuffectura, & potum eluſura frequentem
Miſit, ductilia è ligno ſibi vaſa parando.
Multa quoque in meliùs benè rejecere recentes,
Antiquis uſu aſſiduo, aut errore recepta,
Pleraque, & ingenio priſcis ignota novarunt.
Muſto illi ſuperaddere aquæ ſuevere marinæ (*q*)
Non partem exiguam, & certis medicamina formis
Miſcerè, horrendis noſtro, averſiſque palato:
Aut picis, aut myrrhæ partes miſcere cruentæ,
Scyllitem, aut herbas imitantes tetra venena.
Proh ſcelus infandum, ac indigna injuria Baccho
Indita, cui laudi dulce eſt conjungere odoro!
Ille ſui retinens, vindexque ſeverus honoris,
Miratuſque novos ritus, & non ſua dona,
Damnatos noſtro prorſus rejecit ab ævo.
Nos equidem illius ſuaves auxiſſe ſapores
Conſtat ab artifici invento: nam muſta, priùſquàm
Incipiant fervere, ſuo vix preſſa racemo,
Excipit in ſpeciem mammarum condita tela.

Lon-

Longo harum ſeries diſponitur ordine pendens:
Hinc ſtillis imâ de parte cadentibus, undans
Cupulus impletur, ſuccuſque paratur amænus:
Munera cui mellis, cui dulcia ſaccara cedant.
Scilicet impuræ telarum in margine partes
Hærebunt tenuis dum mittit rimula ſtillas,
Et defæcatis undabunt dolia muſtis.
Ingenii hæc etiam ſunt inclita dona recentis
Spiritus è toto deductus corpore vini,
Mille ſuo morbis occurrere robore promptus:
Quem trahere, ac ignis ſenſim ſecernere motu
Mox reddentem ignes, fuit ars incognita priſcis.
Ne demum impenſos noctuque diuque labores;
Perque æſtus, hyemeſque & ſumptus denique perdas:
Expedit eximiâ muſtum concludere cellâ.
Illa tibi quidquid lectum dedit integer annus
Servabit, vigili ſtudio, curâque ſtruenda. (r)
Frigus amat Bacchus, conturbaturque calore,
Ingenitoque ſuo contentus reſpuit ignem.
Sunt, qui defoſſâ cryptas tellure pararunt:
Quique penetrantes longè infima viſcera terræ,
Invia Phæbeæ luci, & ferventibus auris,
Sedibus obſcuris penitus ſua vaſa locarunt.
Magnum opus! agricolis tamen intentatum, & egeſtas
Suaſit non tanti vinorum emiſſe ſalutem.
Sufficiet pedibus terram divellere ſenis,
Et ſuperimpoſito palmari fornice totum
Contexiſſe locum, quem circuat arboris umbra.
Non tamen adverſi ſint ſtructa vaporibus Auſtri
Oſtia, ſed Boream ſpectent, axemque nivalem,
Ejiciaſque fimos, & cetera putrida longè:

Nari-

Naribus ingratos quæ reddunt, amove, odores.
Sint procul hinc ſtabula, & pecudum præſepia, & ipſe
Frugibus exardens clybanus, cererique coquendis:
Clatrataſque libet circum pandiſſe feneſtras,
Unde meent, remeentque alterno flamine venti,
Et priùs incluſas auras, ventoſque recentent.
Tu quoque ne ſtrepitu incuſſiſſe colone tremorem
Depoſito baccho tentes: ſi cedere ligna,
Vel quod opus fabrile tuis erit utile rebus,
Longè id agas, cureſque ſuis requieſcere certo
Ordine directo ſpumantia dolia tignis.
Sic tibi vere novo mox defæcata repones,
Servabiſque æſtu vitiorum expertia vina,
Et, quamvis avido, parebit vinea agreſti.

Ha-

Hactenus innocuo placuit luſiſſe labore :
Sed quando coluiſſe bonas vix expedit artes ,
Et variâ , incertâque viâ panduntur honores,
Corruptique ævi genium malè poſſidet aurum :
Tu patriis vives fundis contentus , & ultrò
Lentus in ignoto , MACERINE , latebis agello.

FINIS.

Digitized by Google

AD LIBRUM II.

NOTÆ.

(a) QUădam vetuſtâ traditione ab antiquis fortaſsè in poſteros huc uſque tranſmiſsâ habemus, Reginam quamdam Neapolitanam parum honeſti pectoris hunc clamoroſum, & indecorum loquendi morem, quo agricolæ, aliique Autumnali tempore utuntur, induxiſſe. Id certè ab hiſtoricis non hauritur, nec eſt de eâ re apud ſcriptorem ullum notitia. Alii putarunt ſucceſſiſſe hanc libertatem ſacris illis, quæ olim ab Etnicis Baccho celebrabantur. Sed his minimè, aſſentior: nam hæc licentia in noſtris Regionibus ſtato tantùm vindemiæ tempore exercetur: ſacra verò Baccho alio tempore. Hinc apud Curtium legimus, Alexandrum, ejuſque integrum exercitum ſacra Bacco feciſſe tempore florido, & forſan ipſo vere. Curtius Lib. IX. circa finem.

Præterea non ſunt hæc noſtri ævi opprobria ſacris illis Bacchanalibus, de quibus meminit Livius decade Lib. XXX. ſimilia: nam illa fuerant quædam inhoneſtæ virorum, & fœminarum congregationes, quæ non verbis, ſed factis inhoneſtis ſacra celebrabant in occultis locis, & nocturno tempore, unde à Senatu Romano non ſolum interdicta, ſed omni ſupplicio per totam Italiam profligata fuere. Cæterùm noſtris moribus bacchanalium dies dicimus, quos mediâ hyeme, & ſub novi anni initio numeramus.

(b) Colu-

(b) *Columella Lib.* III. *cap.* II. *de Apiariis hæc ſcribit.* Magis etiam dotibus tres apianæ commendantur, omnes feraces, jugoque, & arboribus ſatis idoneæ: generoſior tamen una, quæ nudis foliis eſt, nam duæ lanatæ, quamvis frondibus, & palmitum pari facie flexere, qualitate ſunt diſpariles, cùm tardiùs altera recipiat cariem vetuſtatis. Pingui ſolo feraciſſimæ, mediocri quoque fæcundæ, præcoqui fructus: ideòque frigidis locis aptiſſimæ, vini dulcis, ſed capiti, nervis, veniſque non aptæ: niſi maturè lectæ pluviis, ventiſque, & apibus afferunt prædam, quarum vocabulo propter hanc expopulationem cognominantur, atque hæ pretioſi guſtus celeberrimæ. *Noſtro ævo non Apiariam, ſed ab odore, quem vulgò, Muſchio, dicimus, appellatur Muſcatella. Ceterum ſi novum nomen, cocleus, diſplicet, legas*

„ Ac acinos ſucci tandem ſpectabis inanes.

(c) *Aſperinam uvam nominaſſe videtur Columella, infimæ tamen ſortis potionem exhibet; unde Franciſcus Rhedus ita in ſuo Dityrambo hoc merum deridet,*

Quel d'Averſa acido Aſprino
Che non sò, ſe è agreſto, ò vino.

Alii volunt etiam fuiſſe dictum Signinum.

(d) *Hanc uvam, quam vulgò dicunt, Verdeſca, à ſuo colore, qui in viridem declinat, novo nomine Viridiſcam diximus, dum, ipſa quo latino nomine dicta ſit, ſatis non pateat. Amœni eſt guſtus: ſed expreſſus liquor ex ea uſque ad æſtivos dies perdurat: longiùs autem ſervatus aceſcere ſolet.*

(e) *Hoc genus uvæ vulgò vocatur, Coda di cavallo: &*

 quia

quia difficillimè uſque ad caniculares dies ſervatur, quamvis ejus amaniſſimum ſit vinum, ideò vitiis iiſdem obnoxium diximus. Venditavimus quandoque id genus meri amicis noſtris pro Albano laudatiſſimo, & ſæpè, cum eidem ſimile ſit guſtu, & colore, pro Albano obtrudimus. Utebatur eodem cum commenſalibus Joſeph Valletta magno literariæ Reipublicæ damno nuper extinctus. Is namque celeberrimam in noſtra Urbe bibliothecam inſtruxerat, & publico ſtudioſorum commodo expoſuerat, nulli diligentiæ, aut rei familiaris detrimento parcens. Conveniebant ibi electiores ex omnibus ordinibus viri, & per ſuam comitatem ea voluminum copia omnibus indigenis exteris, Magiſtratibus, Eccleſiaſticis patebat, ut & nunc à ſuis liberis id commodum etiam exhibetur.

(f) *Hoc genus vini vulgò dictum, Vernotico, peculiariter in Nolano rure premitur, quaſi ejus ſoli ſit proprium. Delicati eſt guſtus, & ideò apud exteros expetitum, præcipuè à Romanis; quapropter in eam urbem quotannis magna copia tranſvehitur.*

(g) *Vulgò dicunt, Falanghina, genus uvæ oblongi acini, & nobilitate Amminieo proximum.*

(h) *Joannes Baptiſta Porta Lib.* VII. *Villæ cap.* VI. *hæc ait*. Sed videamus num conjicere poterimus, quale noſtris temporibus ſit Ammineum. Et Servius in Virgilio docet, ammineum vinum, quaſi ſine minio, &, à, dictione privatum,& minio, ideſt ſine rubore, quaſi album, non rubrum ſit vinum. *Macrobius inquit*: Ammineum vinum nuncupari à regione, nam Aminei populi ſunt, ubi nunc Phalernus eſt. Nos verò è notis, quas affert Columella, dicimus Ammineum vinum eſſe noſtrum vulgare

gare Græcum; nam nobiliſſimæ notæ eſt inter cætera, diutiuſque in vetuſtatem aſſervatur, ut etiam centum annorum reperiatur. Ejus vites Veſuvium montem conveſtiunt, reſpondentem fructu illata damna, ut inveniat, apud poſteras gratiam, cinere, & conflagratis ſaxis, & calore ſuo vino contribuit. In patriâ potum caput tentat, mare tranſuectum vi domitâ miteſcit, fitque ſua vius. *Galenus de antitodis cap.* III. *hæc ſcribit*: Vinum, quod in collibus Neapoli vicinis oritur, quâ parte Puteolos urbem ſpectat, Ammineum nominatur, ſed tenue, & aquoſum, nec quale in Siciliâ, aut in Bithyniâ. *Sed hoc repugnare videtur auctoritati Virgilianæ ibi*,

Sunt, & Ammineæ vites, firmiſſima vina.

Et confutatur ex dictis à Joanne Baptiſta à Portà.

(i) *De vetuſtate vinorum apud antiquos plura legimus vix credenda. Teſte Macrobio Lib.* II. *Saturnalium cap.* III., *cum cœnaret Cicero apud Damaſippum, ac is diceret, bibite hoc Falernum, annorum quadraginta eſt, reſpondit Cicero, benè ętatem fert. Plinius Lib.* XIV. *cap.* IV. *Datum meminit in cœna Caii Caligulę vinum centum ſexaginta ante annos repoſitum redactum in ſpeciem mellis. Horatius Cęcubum vinum in Campanię noſtrę orâ maritimâ ad centum annos ſervatum indicat Carminum Lib.* II. *Ode* XIV.

——— ——— ——— & perenne
Abſumet heres cæcuba dignior

F 2 Ser-

Servata centum clavibus, & mero
Tinget pavimenta ſuperbo,
Pontificum potiore cœnis.

Idem Horatius vinum ſe naſcente repoſitum memorat ibi,

O nata mecum Conſule Manlio.

(k) *Uvarum nomina, quæ antiquis in uſu premendi fuerint, qui ſcire velit; conſulat Columellam Lib.*III. *cap.* II., *qui infinita earum nomina numerat: quibus nominibus, quæ ſucceſſerint hodiè facile non eſt invenire. Ea ſunt, videlicet, Amminea, Gemellæ, Nomentanæ, Eugeniæ, Apianæ, Biturigæ, Elbulæ, Pretiæ, Albuelæ, item Græculæ, Mareoticæ, Thaſiæ, Sophortiæ, Helvenaciæ, Spioniæ, & aliæ, quas item auctor ſubdit his verbis.* Quippè univerſæ Regiones, Regionumque penè ſingulæ partes habent propria vitium genera, quæ conſuetudine ſuâ nominant. Quædam etiam ſtirpes cum locis vocabula mutaverunt. Quædam propter mutationes locorum, ſicut ſupra diximus, etiam à qualitate diſceſſerunt, ita ut dignoſci non poſſint, ideòque in hac ipsâ Italià, ne dicam in tam diffuſo terrarum orbe vicinæ etiam nationes nominibus earum diſcrepant variantes vocabula. *Huc uſque Columella. Ego itaque bonum factu putavi vinarias uvas quibus Campaniæ agri frequentiſſimè veſtiuntur, & quibus in condendis vinis tantùm utimur, hic recenſere, & ad noſtram ætatem, & uſum nomina accomodare, quæ ſi priſcis etiam, ut indicat Columella, controverſa erant, nunc eadem ad præſentia componere difficillimum foret.*

(l) *Uvam*

(l) *Uvam verraciam vulgò dictam, Mangia verra, dulciſſimi experimur liquoris, ſed non adeò firmi. Dicta eſt, quòd apri, ſeù verres eam avidè appetant, & depaſcantur.*

(m) *Hellinicam dicimus, quam vulgò, Aglianica, principem certè, & omnium ad habenda vina optimam, cujus propagines fortaſsè, quòd è Gręcia ſint in Italiam translatę, Hellinicę fuerunt dictę. Ex hac generantur ea muſta, quæ lacrymas nuncupamus.*

(n) *Scopos Varro Lib.*I.*cap.*LV. *vocat pediculos, quibus adhærent acini, atque ita commentatur Scaliger ad Libros Terentii Varronis de re Ruſtica lib.* I. *paginâ* L., *qui ſubdit aliàs vocari ſcopiones, eoſque eſſe racemos cum pediculis à ſcoparum ſimilitudine. Habent hi ſcopi, ſeù pediculi virides inſitam quamdam amaritudinem, quam ſi longiùs eſſe cum muſto ſiverimus, eidem communicant. Itaque cum ſegregantur, illud dulcius, & ſuavius evadit. Thomas Cornelius egregius Philoſophus ineſſe putabat viridibus ſcopis inſitas quaſdam vitreoli partes, quas benè conferre exiſtimabat ad vinum in multam vetuſtatem ſervandum, licet illud aſperioris guſtus reddant.*

(o) *Eſcarias uvas numerat Columella dicto Lib. & Cap. videlicet, Duracinas, Bumaſtes, Dactilias, Rhodias, Libicas, Ceraunias, Stephanites, Cydonites, & pleraſque alias. Has premere non ſolemus, tum quia non adeò copioſæ ſint, tum quia ſalibus muſtaceis viduatæ, ideòque fermento minùs aptæ. Has ad menſarum ornatum exhibemus, & trabibus pendulas per totum Campani ſervant hyemem. Aliàs ineptum ſuccum reddunt: & operam*

per-

perderent , *qui ex iis exiguum ſuccum eliciunt non bonum* , *nec duraturum* . *Plinius Lib.* VIII. *ſcribit* : Centum octuaginta ſunt uvarum nomina uſque adhuc cognita.

(p) *De vaſibus curandis hęc docet Columella Lib.* XII. *cap.* XXV. Muſtum autem antequam de vaſe tollas , vaſa rore marino , vel lauro , vel myrtho ſuffumigato , & largè repleto ; ut in effervefcendo vinum ſe bene purget , poſtea vaſa nucibus pineis ſuffricato . *Alias ad pręparanda dolia artes ab antiquis uſitatas enumerat Joannes Baptiſta à Portà Lib.* VIII.*cap.*XXIV.

(q) *Neſcio quam ſuavitatem priſci ex aquâ marinâ cum vino admixtâ ſuſcipiebant* , *ut eam potionem pro amœniſſimâ,& delicatâ haberent* . *Certè Plinius id laudabile inventum narrat ortum ex furto cujuſdam mancipii* , *qui cellę vinarię à domino prępoſitus dolia ſenſim expilaverat* , *& ne ſua fraus detegeretur* , *quod minuerat liquoris* , *ex aqua marina ſuppleverat* , *cujus poſtea mixtura ſuavius* , *& firmius reddiderat vinum* . *Scribunt ergo antiquiores hanc ex aqua marina additionem non ex proxima litorali aqua* , *ſed alto mari petendam* : *unde Columella Lib.* XII. *cap.* XXIV. *hęc tradit* . Pix nemeturica in Liguriâ conficitur . Ea deinde , ut fiat conditutis idonea , aqua marina quàm longiſſimè à litore de pelago ſumenda eſt ; atque in dimidiam partem decoquenda , quæ , cum in tantum refrixerit , quantum ne contacta corpus urat , partem aliquam ejus, quæ ſatis videbitur , relictæ pici immiſcemus , & diligenter ligneâ ſpathâ , vel etiam manu peragitabimus , & cæt. *Et infra ſubdit* . Cum hoc modo picem præparaverimus ,

& vi-

& vina, cum jam bis deſerbuerint, condire voluerimus, in muſti ſextarios octo, & quadraginta, cyathos duos picis prædictæ ſic adjiciemus, & cæt.

(r) *Cellam vinariam ita conſtruendam diſſerit Palladius Lib.* I *.cap.*XVIII. Cellam Vinariam Septentrioni debemus habere oppoſitam, frigidam, vel obſcuræ proximam: longè à balneis, ſtabulis, furno, ſterquiliniis, ciſternis, aquis, & cæteris odoris horrendi.

Digitized by Google

A01 1464475

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXIX
B 30